AC. L.
LUGD. BAT.
BIBL.

Perillustris domine, et Constantissime Maecenas,

Quid sit quod te rogem, nulla usus circuitione expediam paucis. morte Secretarij Nadervicensis munus id vacare, hoc ipso momento intelligo. Si, cum apud celsissimas Principes, Britannicam Arausionensemq plurimum possis, me earum insinuare favori, et matris meae filium ipsis commendare digneris, ut ad eam Spartam ex pulvere hoc scholastico evectus sublimi feriam sidera vertice, neq sane committerem ut te commendati Brunonis poeniteret, aut aliena tibi inciderent peccata pudorem. quia autem jam coepi transilire leges pudoris, etiam hoc addam, audiisse me, Viana pastorem desiderari. fratrem, quod latere te non potest, habeo, pastorem ad mare Egmondanum cujus de probitate, eruditione, ac donis ad id muneris quo fungitur, requisitis, malim aliunde ex Nathane praesertin Vogelsangio, Pastore Vianensi te quam ex me, quia frater est expiscari. Cum ut Excellentissimo Brederodio commendes si commendatione, ut nullus dubito, dignum esse cognoveris, oro, quaesoq. Scio equidem ambiri Ecclesiastica munera non debere, sed honesta fiducia fraternorum meritorum, haec raptim in chartam conjeci, quia persuasissimum habeo, Ecclesiae Vianensi neq vitam neq doctrinam, neq dotes ipsius inutiles ac poenitendas esse posse. cogor abrumpere,

Perillustris domine,

Hornae 23. April. 1654.

Tuus ex asse cliens,

Henricus Bruno.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 107
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5348

Mijn Heer
Mijn Heer van Zuylichem etc.
In 's Gravenhaghe
door vrint

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 107
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5348